



# Dissertatio medica inauguralis de peripneumonia

<https://hdl.handle.net/1874/343818>

40.

EXERCITATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
PERIPNEUMONIA,

<sup>QVAM</sup>  
AUSPICE DEO OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,  
M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, & Nobilissima

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS;

Summisque in MEDICINA Honoribus Prærogativis &  
Privilegiis, ritè legitimè & solenniter consequendis,

*Publica disquisitioni subjicit*

JOHANNES DIEDERICUS KORT, HAMBURGENSIS.

*Ad diem 16. DECEMBERIS, hortis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiac  
Typographi, cl cci xcii.

V I R O  
EXCELLENTISSIMO, NOBILISSIMO  
EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O

HENRICO HAKE,  
Medicinæ Doctori , atque  
Liberæ Imperialis Reipubli-  
cæ Hamburgensis Practico  
Celeberrimo.

N E C N O N  
VIRO SPECTATISSIMO ATQUE  
INTEGERRIMO  
D O M I N O  
DIEDERICO  
K O R T

Parenti suo summè devenerando.

Dissertationem banc Inauguralem  
Academie HAMBURGENSIS  
JOHANNES DIEDERICUS KORT.

## EXERCITATIO MEDICA

## INAUGURALIS

D E

## PERIPNEUMONIA.

## PARAGR. I.



Aris morbis pulmones subjectos esse, quotidiana experientia docet, & Anatomici satis probant, dum pleuræ adnatos, calculis repletos, purulentos & inflammatos deprehendi te-stantur. Nomina hisce morbis à Practicis dantur varia, denominantur vero utplūri-um vel à subjecto, vel à causa, quod pa-tet, si inflammationem pulmonis, de quā in dissertatione hāc agere animus est, considere-mus. Nominatur enim ab aliis Peripneumonia, propterea quod membranam pulmonem investientem affectam, & subjectum hujus esse putent; ipsam vero pulmonum substantiam pro subjecto ha-bentes simpliciter Pneumoniam dicunt. Derivatur Peripneumo-nia à verbo Græco πνεύμων, quod circum audit, & πνεύμων@ Pulmone. Latinis dicitur Pulmonia, vel pulmonaria, it. pulmonis phlegmone seu inflammatio. Celsus lib. iv. cap. vii. Morbum Pe-ripneumonicum vocat, Avicenna vero ad subsequentem haud raro suppurationem respiciens, Apostema calidum. Salutatur etiam no-mine Febris Pneumonie (à maximè notabili symptomate, febre acuta.) Germani nominant die Lungenfucht. *Lungen entzündung, Lungen fieber.*

## §. II.

Perspecta sic breviter etymologia, definitionem ut demus, ne-cessè est. Definitur vero hic affectus variè, nam pro diverso illius conceptu, variè etiam definitiones ponuntur. Definitur au-tem à plerisque, quod sit inflammatio pulmonis, cum dolore

A 2

gra-

JOHANNES DEDERICUS KORT

gravativo, febre acuta, russi & respiratione difficii conjuncta, ab humorum stagnatione & hinc subsequentे corruptione oriunda.

## §. III.

Genus est *φλεγμων* inflammatio, quod testatur Galen. 2. de loc. aff. c. 3. De subjecto Peripneumoniae non omnino inter se conveniunt Autores, quidam enim iuxta vocis Peripneumoniae *ancientar* membranam pulmonum tantum, quidam vero pulmoniam nominantes pulmonis substantiam pro subjecto habent. Cum illis, qui pulmonem secundum suam substantiam consideratum, pro subjecto habent & ego sentio, partim ratione, partim experientia practicorum inductus, & statuo quod subjectum Peripneumoniae principale ipsum sit pulmo, modo dexter, modo sinister, modo uterque. Non necesse autem est, ut totus semper pulmo tum dexter, tum sinister afficiatur, quoà Celsus innuere videtur, dum de Peripneumonia lib. IV. cap. vii. inquit *Pulmo totus afficitur*, sed interdum tantum unum aut alterum lobum inflammari, *autolla* anatomica in Peripneumonia defunctorum cadaveribus adhibita dudum ad oculum demonstravit. vid. Schenck. lib. 2. observ. med. de Peripneumonia obseru. 3. Nonnunquam etiam cum pulmone pleura afficitur, & tunc dicitur Pleuroperipneumonia, vel Pleuropneumonia.

## §. IV.

Causam hujus affectus proximam in humorum in pulmonibus stagnatione, & illorum putredine, consistere arbitror. Dum nempe sanguis præternaturaliter copiosus in pulmonem per arteriam pulmonalem influit, quam ut in venam pulmonalem recipi possit, necessario extravasatio, stagnatio & obstructio sequitur. Positis vero hisce, fit inæqualitas, tumor & tensio, unde dolor & respiratione difficultas oriuntur; febrem autem sanguinis putredo & fermentatio efficit. Quis humor potissimum in causa sit, sanguineus, biliosus an pituitosus, autorum opiniones discrepant, dum alii pituitam, alii bilem, alii vero melancholiam exclusam volunt. Ego nomine humorum omnes intelligi volo, sanguinem puta vel solum, vel biliosum, vel pituitosum. Galenus à pituitoso sanguine fieri utplurimum indigitat 6. aph. 33. ubi dicit. Peripneumonia fit ab omni humore, utplurimum tamen à pituitoso, nam à membro spongioso humor tenuis facile elabitur, crassus autem adhærens retinetur. Pleuritis op-

posito

JOHANNES DEDERICUS KORT.

posito se habet, nam membrana costas succingens propter densitatem primæ substantiæ humorem crassum in se vix admittit. Ex sanguine etiam nimis redundantē, ex bile crassiori & ex sanguine bilioso generatur peripneumonia, & hæc fere semper interficit. Hartmannus contra in tract. de morb. astr. & material. causis ex tenui biliosoque sanguine hunc affectum oriri statuit, dum p. 40. inquit. Peripneumonia, quæ non alium morbum subsequitur, sed ex sese primam dicit originem, fit ex tenui biliosoque sanguine, è dextro cordis sinu per venam arteriale in pulmones vehementius & abundantius excusso, qui non modo pulmonis venas & arterias, verum etiam totum ipsius corpus præter modum implens & distendens coarctatur & putreficit & pulmonis inflammationem accedit. Quomodo vero quis humor in causa sit cognoscatur, ex sputo Galen. 2. de loc. affect. § 2. Prognos. indicat, inquiens: id potissimum percipiemus ex sputi colore diverso, ex rubro sanguinem, ex flavo & rufo si-  
ve pallido, biliosum sanguinem, ex spumoso, albo atque candido pituitosum, ex livido & nigro melancholicum sanguinem.

## §. V.

Ex causis remotis aliæ materiam suppeditant; aliæ (quæ remo-  
tissimæ, procatareæ externæ dicuntur) movent illam. Necesse  
est nimirum, ut dispositio aliqua adsit in corpore, nempe tempera-  
mentum calidum & humidum, debilitas vel imbecillitas pulmo-  
num, plethora, quacunque etiam de causa illa fuerit orta, sive ab  
excessu circa cibum & potum, sive à suppressis evacuationibus, aliæ  
enim non tam facile orietur Peripneumonia præiente vero dispositione  
aliqua, si alia procatareæ causa accedat, quæ illam moveat, pro-  
ducitur facilius Peripneumonia. Inter has causas frequentissima est  
subita refrigeratio; si quis nempe aëri, valde mutabili, frigido  
vento, aquiloni sese exponat, facile in hunc affectum posset incide-  
re, non quidem omnis, sed qui plethoricus & præsertim calefa-  
ctus antea fuit. Post meraciorem assumptum potum, si frigidissi-  
mam aquam quis assumat, aut gelidissimo se committat aëri, idem  
contingere solet; per illum enim meraciorem potum sanguis cale-  
factus & in motu auctus ruit vehementius & copiosius in pulmo-  
nes, cuius retrogressus in venas ab aëre potuque frigidore sistitur,  
vid. Fortis cent. 2. consult. p. 170. Ab ira tale quid fieri quoque vide-  
mus, quia per eam commovetur sanguis, ut & à nimio clamore  
vel intensione vocis. Quod de aëre dictum est, probat Hippocr.

111. aphor. 23. inquiens. Hyeme v. pleuritides, Peripneumoniæ, lethargi, gravedines, raucedines, tusses, dolores pectorum & laterum & lumborum & capitis dolores & vertigines, apoplexia. it. Celsus lib. 2. cap. 1. Hiems autem capitis dolores, tussim & quicquid in faucibus, lateribus, in visceribus mali contrahitur, irritat.

## §. V I.

Non vero solum aër frigidus hunc morbū producit, verum etiam prout variis miasmatibus inquinatus est; quemadmodum patet in metallaris, qui à gas mercuriali salino rosivo peripneumoniæ afficiuntur. Porro nonnunquam maligna aëris temperies hunc morbum pluribus accersit, & epidemicum facit, quod de aquilonia tempestate afferere videtur *Hippocrates Aphor. v. Sect. 111.* quando nimirum inquit, eam laterum & pectoris dolores facere. Imprimis autem tale quid accidere solet, si magnum aëris æstum subsequatur frigus intensissimum. Observavit hoc Antonius Thosius in libello de novâ Peripneumoniam curandi ratione de epidemica Peripneumoniæ, quæ grassata est seculi hujus anno 11. Scribit enim per æstatem illam vehementissimum fuisse calorem, imò squalorem, qui non solum toto autumno, sed ad hyemis quoque principium perduraverit, medio vero Decembri atrocissimum gelu & perpetuum aquilonis flatum, hinc cœpisse mox Peripneumonias illas epidemicas, in locis præsertim expositis aquiloni, quæ maximo cum impetu plures ægros quarto, ad summum sexto die sustulerunt. Per æstum scilicet calefit sanguis, & copiosus ruit in pulmones, accidente vero frigore prohibetur, ne ex arteriis in venas redire possit. Referuntur etiam ab autoribus aliæ Epidemicæ Peripneumoniæ, quas pestilentes vocant, quæ non tam ab his sensibilibus primarum qualitatum in aëre mutationibus, quam à causis tota substantia agentibus videntur dependere, quales Dodonanus in observat. Wierus & Andreas Gallus de peste recensent. Aliquando & ex aliis morbis oriuntur Peripneumoniæ, v. gr. saepe fit teste Hippocrate VII. aph. 11. ex Pleuritide. Ex phrenitide Hippocr. lib. 1. de morb. it. ex angina V. aph. 10. Signum vero Anginæ in Peripneumoniam conversæ est superveniens dolor lateris, cessante magna ex parte circa collum & fauces dolore & difficultate deglutiendi & respirandi. De Peripneumoniæ ex catarrho præcedente vid. Observ. Foreß. lib. xvii. observ. xlviij. it. ex lochiis retentis & febri hungaricâ sive pesti.

# A I N A U G U R A L I S.

7

pestilenti aliquando accidere potest. Ex febre ardente Peripneumoniam fieri testatur *Hippocr. lib. 11. de morb. §. LXI.*

## §. V I I.

Sic perspectis causis, de differentia notandum, quod illa facile ex causis innotescat; est vero Peripneumonia vel essentialis vel symptomatica. Essentialis iterum ratione causarum vel pituitosa, vel biliosa, vel sanguinea. Subjecti ratione vel exquisita, quæ fit substantia, vel spuria, membrana adfecta. Symptomatica autem pleuritidi & aliis superius dictis morbis succedit.

## §. V I I I.

Quomodo à Pleuritide & aliis morbis differat, inquirere quoque dignum existimo. Nam Pleuritis & Peripneumonia sè pissimè inter se confunduntur, & à nonnullis pro uno eodemque morbo habentur. Differunt autem primo ratione subjecti, in peripneumonia enim exquisita, pulmo, in pleuritide vero pleura affecta; secundo ratione symptomatum. In Peripneumonia dolor est gravatus, & non ita urget ac in Pleuritide, in hac enim est dolor lateris punctarius & hic differentiam specificam constituit. Respiratio & tussis quoque multo difficilior est in Peripneumonia, ob respirationis organon per se affectum, quam in Pleuritide, per consensum tantum. A musculorum intercostalium inflammatione, quia hæc sine febri sit, aut si febris adsit, ea lenta tantum, tussis vero rara & dolor obtusus est, si musculi exteriores affecti sunt, dolor tactu exacerbatur, locus tumet, rubet, ardet & tandem pus plorat. Erysipelatis pulmonis notas vid. apud *Hippocr. lib. de internis affectionibus §. VIII. p. 205.*

## §. I X.

De Phænomenis sive signis optimè *Hippocr. lib. de intern. affect. §. IV.* Hæcce vero notanda veniunt. Præviâ horripilatione febris continua acuta & malignior impetit, ut plurimum cum inæqualitate, ut calor extrinsecus remissus & humidus, intus siccus & exurens sit. Causa vero hujus febris acutæ & continuæ partim est phlegmone sive inflammatio; partim cordis vicinia & *venæ* vasorum. Respiratio crebra est, anhelosa, difficilis fervida, quia adest inflammatio & in respirationis organo. *Galenus lib. 2. de locis affect. c. VIII. inquit.* Propriam etiam respirationem calidam sentiunt, maximè si inflammatio fuerit Erysipelatodes. it. *Hippocr. lib. de diebus judicator. §. VIII. inquit.* Spiritum densum ac calidum respirat. Germani exprimunt his verbis. *Es geht ihm heiſ aus dem munde.* Anxii valde sunt ægri, variè

## 3 EXERCITATIO MEDICA

riè se jactant, nunc sese erigunt, nunc decumbunt, nullib[us] quietem invenientes, decubitus tamen molestior est, & erecti quidem se habere paulo melius videntur, thorax quippe in erectis magis dilatatur, decumbentibus vero in se[me] concidit: attamen nec status ille corporis erectus sufficit, parum quidem inde juvantur, at non penitus; nam ipse pulmo propter tumorem ab inflammatione sufficienter explicari & distendi nequit, unde illa respiratio crebra, anhelosa infra nominata. Superior quoque thoracis pars valde moveatur, quam motionem sublimen respirationem vocamus. Germani dicunt, *er holet hoch athem*, quæ quidem ob virium debilitatem non æquè magna semper, crebra tamen & continua est.

### §. X.

Porro inter Peripneumoniæ signa referuntur rubor vultus, quandoque & oculorum, ob restitatem ibi sanguinem, quod illuc quasi atomos suas mittat. Faciem rubentem imprimis autores recensent tanquam signum pathognomonicum affecti pulmonis. Oculi etiam s[ecundu]m eminent, quando suffocatio magis intenditur. Afficiuntur insuper hoc affectu laborantes tussi, initio urplurimum siccâ, ob cruditatem materiæ postea vero si quid per tussim rejiciunt, pro diversitate cause modo spumosum, modo cruentum, modo flavum id est. Tussis hæc, quâ vexantur, valde molesta est & vehemens, ob materiæ humorosæ, ichorosæ, serosæ præsentiam & acrimoniam; Dolor vero vel nullus adest; vel, si in principio observetur, leviortantum & gravatus magis, (quod patet ex ægrorum relatione, qui conqueruntur sæpè videri sibi faxum ingens & ponderosum impositum pectori.) ad scapulas, claviçulas & mammam se extendit, (*Consent. Hippocr. lib. de dieb. iudicat. §. viii.*) non ratione partis affectæ, sed ligamentorum & membranæ pulmonum ibi alligatae. Gravatus percipitur ex eo, quod materia in viscere non adeo sensibili stagnet: Aliquando tamen punctoriū etiam observatur dolor, uti testatur *Willis. ph. rat. p. ii.* sed tum pulmo non tantum inflammatus est, sed simul membrana illa exquisitè fatis sentiens, quam pleuram dicimus, affecta, id quod per sectiones deprehensum est, unde Pleuriperipneumoniæ nomen, de quâ integrum librum scripsit Vincentius Baronius.

### §. XI.

Vigiliæ, dolor capitis, sitis, lingua aspera, ob defectum lymphæ in glandulis & incoctionem seri, ob febrim, interdum quoque adfunt.

sunt. Pulsus ex celeri frequens & inæqualis, mollis respectivè & latens. *Lomminius in suis observationibus Medicinalibus p. m. 128.* ita inquit. Pulsus undosus, mollis, magnus, celer, raro bis pulsans, sapè intermittens & intercurrentis est. Lingua sicca est, prius ex flavo rubescens, deinde præcedente morbo crassa nigraque redditur: tandem etiam rumpitur lingua, & si digitum apponas, inhæret. *vid. Hippocr. lib. de dieb. judicat §. viii.* Ingens cibi fastidium frigidique tum fontis tum aëris hauriendi cupiditas adest. Primis quoque diebus vomitum pulmonicis familiarem esse, diuturnā se experientiā didicisse testatur, Piso de morbis ab illuvie serosa oriundis *lib. 3. cap. 9.* Tantum de signis ipsius morbi.

## §. X I L

Partis affectæ signa dolor & rubedo hujus vel illius loci, genæque præbent: *Hippocrates in Coac. pronot. §. 3.* de signis affectæ partis pulmonis ita inquit: Peripneumonicis, quibus lingua tota alba ac aspera fit, ambæ pulmonis partes inflammatae sunt, quibus vero dimidium, una, juxta quam appareat. Et quibus ad unam claviculam dolor fit, his superna pulmonis ala una ægrotat, quibus autem ad ambas claviculas dolor fit, ambæ supernæ pulmonis alæ ægrotant.

## §. X I I .

Causarum signa à diversis partim humorum notis partim ab ægri expuitione desumuntur, uti in §. iv. monitum: Quod si vero æger non expuat, Ætas, temperamentum illius, aëris constitutio, humorumque inflammationem excitantium substantia examinanda veniunt, uti annotat *Straffius in sua Palestra Medica.*

## §. X I V .

Prognosin quod attinet, morbus hic est ex acutissimis, periculi plenus, ob respirationem læsam, & paucorum dierum, septimo non raro terminatur die, vel etiam prius. Periculosem esse hunc morbum tum *Celsus lib. iv. cap. vii.* & *Lomminius in obs. p. 129.* testantur, (dicentes; id genus morbi plus periculi quam doloris habet; utque alias semper, sic tum potissimum lethalis est, cum insaniam movit) tum etiam communis experientia, quatenus plurimi ex eo decumbentes aut moriuntur, aut ægrè convalescunt,

## §. X V .

Senibus & debilibus si hic morbus accidat, lethalis plerumque existit: In obesis omnis Peripneumona ut plurimum lethalis est & admodum periculosa, quia, dum organa habent angustiora, respiratioque in illis

## 10 EXERCITATIO MEDICA

difficilior, facilè suffocantur. A sanguine puro proveniens mitior censetur, à bilioso vero vel impuro deterior & brevior, longior vero nec ita acuta, quæ à pituitoso sanguine nascitur. Peripneumonia ergo biliosa reliquis aliis malignior & periculosior æstimatur, & quidem quanto magis ad erysipelas pulmonis accedit. Porro, quæ alios morbos sequitur diuturnos & acutos, minus quoque curatur.

## §. XV I.

Eventum Peripneumonie quod concernit, triplex est, vel enim moritur æger, vel liberatur, vel abscessus longior succedit. Ad mortem tendit, quando materia in pulmonibus hærens non coquitur, suppuratur, neque expectoratio bene succedit. Prout enim se habet expectoratio, ita salus Pleuriticorum & Peripneumonicorum. Observavit id *Excellentissimus Georg. Wolfgang. Wedelinus Praeceptor meus* nunquam satis de *predicandus* in *viro* quodam quadrato hoc morbo affectō, cui quamvis satis constantes fuerint vires, ut sedere erectus in lecto potuerit, quia vero expectoratio non succedebat, suffocatus & mortuus est. Si ad sanitatem tendat, tum longius, antequam restituantur ægri, tempus requiritur, sitque id potissimum aut quām saluberrimè & tutissimè per expuitionem. Solvitur vero morbus hic etiam more aliarum febrium variis modis per crifin, & quidem vel per fluxum sanguinis, sive is per nares fiat, sive per hæmorrhoides, sive per menses in fœminis; vel per alvi fluxum, quamquam hunc malum pronunciet *Hippocrates Sect. vi. Aph. XVI.* A Pleurite aut à peripneumonia detento, alvi profluviū superveniens malum: qui tamen Aphorismus intelligi debere videtur de diarrhæâ symptomaticâ, non vero de critico fluxu alvi. Qui possit solutio per alvum fieri, difficile explicatu videtur, cum viæ in cadaveribus peculiares per quas possit deferri materia, nullæ reperiantur. Probabile tamen est materiam purulentam prius transflumtam per venas pulmonales vel per venam azygos resorberi, & cum sanguine in sinistrum cordis Ventriculum & porro per arteriam magnam ad arteriam mesentericam in intestina deponi. Præterea observatum est ab *Hippocrate in Coac. pranot. §. III.* quod illi quoque, quibus ex peripneumoniæ abscessus circa aurem, aut ad infernas partes fiant, & suppurentur ac fistulentur, hi superstites evadant. Exemplum Peripneumonie biliosæ purgatione menstruâ & frequenti expuitione finitæ annotat *Forst. lib. XVI. obs. XLV.*

## §. XVII.

## §. XVII.

Terminatio vero in suppurationem intra vitam & mortem ambigit. Servatur æger, si (uti antea monitum, transflumtā per venas materiā per urinarios meatus aut ventrem exturbatur; aut, si disrupto abscessu pus in pectoris cadit spatium, indeque totum quadraginta diebus expectoratur. Expectoratio ubi non fit, quando pus in pulmonem irruperit, alterum sequi necesse est, aut suffocatio, pure nempe acervatim in spiritu instrumenta ruente, aut tabes, ob ulcus pulmonum. Terminatur Peripneumonia etiam in alios morbos, in Pleuritidem, (quod rarius fit) & minus malum est, licet tamen non semper tumum, item pulmonia phrenitidem gignere valet teste Galen. 7. Aph. 12; in hanc vero si permutetur, pessimum est juxta Aphor. Hippocr. XII. Sect. VII. A pulmonis inflammatione Phrenitis malum; morbus enim acutus acuto superveniens plerumque est lethalis Hipp. lib. 2. Prog. c. 12.

## §. XVIII.

Quoad sputum hæcce notanda. Ægroti si per tussim statim ali-  
quid à pulmonibus inflammatis excreent, quod sputo permiscetur,  
bonum est, & præfertim, si tussi non adeo validâ existente facile  
propellatur, è contra vero, malum. Hoc autem si sanies sit vel  
cruor, qualia à parte inflammata, pulmonibus scilicet prodire so-  
lent, probatur. Si vero sanguis copiosior ab initio, maximèque die-  
bus aliquot continuis rejiciatur, aut semel cessans rursum redeat,  
pulmonum lesionem graviorem portendit. Quo citius autem sa-  
niosum sputum purulentum album coctumqne evadit; & quo fa-  
cilius copiosusque tunc expuitur, eo est melius, nisi tanta copia  
rejiciatur, ut, sicuti aliquoties in Peripneumonicis morituris acci-  
dere videtur, pelvis adimplat, quod inflammationem maximam  
fuisse magnamque suppurationem inde subsecutum & proin mortis  
imminentis signum est. Purulenta expuitio etsi subflava sit, nondum  
est, nisi flavescat, mala; quæ virescit, deterior est, eoque magis si  
atra sit, quæ alba tenax & pellucida morbum prolongat secundum  
Platerum. Francisc. Joil lib. III. pract. sect. I. p. m. 273. inquit. Si spu-  
tum est biliosum ut plurimum in quinque diebus, si spumosum in  
octo interimere solet. At si cruentum sit, in suppurationem transit.  
De urina Hippocr. tale prognosticon instituit. Quibus in Peripneu-  
monia urinæ crassæ in principio, deinde ante quartum diem atte-  
nuantur, lethale est. Vid. Coac. Prænotion. §. 3. Sanguis demissus è

vena , niger valde corruptus & limosus pessimum Peripneumonia signum & præfigit plerumque mortem. Tantum de Peripneumoniam causis & signis.

## §. XIX.

Curationem quod attinet, illa certis nititur indicationibus, quærum beneficio indicantur & inveniuntur auxilia, quæ causas removendo, symptomatibus urgentibus occurrendo, viresque depresso sublevando morbum tollunt, & sic totam curationem absolvunt. Indicationes autem erunt seqq. Primo sanguis in toto abundans imminuendus, ejusque motus, quo impetuoso ad partem affectam ruit, corrigendus & avertendus. Secundo illud quod jam influxit, educendum. Non neglectis interim tertio illis, quæ symptomatum urgentium & virium rationem habeant.

## §. XX.

Primo itaque ad plethoram tollendam atque ulteriore influxum sanguinis cohendum, & simul fervorem illius temperandum, Venæ sectio statim in principio morbi instituenda est. Statim in principio Venæsectio est administranda prius quam vires vacillent, nempe primo, secundo aut tertio die, docuit enim experientia, nisi hisce diebus adhibeatur, deinde non tam multum illam juvare, quin in epidemicâ Peripneumonia nocere potius, uti apud Dodonæum videre licet. Ubi virium defectus adest, suaderem cum Cornel. Cels. loco venæsectionis adhibere cucurbitulas, vel brachio, vel scapulis, vel etiam pectori, si sit carnosum, juxta Sennertum. Costis appositæ cucurbitulæ multum profuerunt apud Fontan. exempl. 17. p. 52. Celsus autem lib. 1 v. cap. VII. p. m. 212. ita inquit. Oportet si satis validæ vires sint, sanguinem mittere, sin minores, cucurbitulas sine ferro præcordiis admovere.

## §. XXI.

Post sectam venam, Diaphoretica optima in Peripneumonia quoque remedia, præcipue si malignitatis metus adsit, quippe pluribus indicationibus simul satisfaciunt, nempe sanguinis fervorem & per consequens accessionem febrilem mitigant, discussionem & resolutionem materiæ juvant, *sæd* sive circulationem sanguinis impediat simul promovent. Commandantur vero imprimis ab Autoribus & in usum veniunt sequentia, nempe dens aprugni, mandibul. lucii piscis, oculi cancerorum, sanguis draconis, sanguis hirci, C. C. ustum, Cornu Cervi Philosophice preparatum, Antimonium dia-

phore-

## INAUGURALIS.

13

phoreticum, spiritus Corn. Cerv. Spir. salis ammoniac. Mixt. simpl. Tinet. Bezoard. Excell. Wedel. Michaél. it. Sal. Corn. Cerv. Volatil. Sal. Fuligin. &c.

## §. XXXI.

Porro ad id, quod influxit, educendum optimè convenientiunt matrarentia & expectorantia; quæ tamen utraque temperata sint oportet, quæ nempe sitim & æstim febrilem sedant potius quam exasperant, inquit *Willis.* De maturantibus vid. *Forest. in Praxi.* Inter expectorantia vero primum tenent locum resolventia, de quibus observandum, quod sint remedia specifica ut Pleuritidis, ita & Peripneumoniarum; illa enim expectorationem admodum promovent: Salus vero tum Pleuriticorum tum Peripneumonicorum consistit in expectoratione. Laudantur autem inter resolventia præprimis sperma ceti, pulv. ocul. canc. mandibul. lucii piscis, antimon. diaphor. Pulvis Pleuriticus *Excellentissimi Wedelii Praeceptoris nunquam sine honoris præfamine nominandi, descriptus in Opioleg. pag. III.* expectorationem admodum juvat, viresque simul confortat. Constat autem iste pulvis ex dent. apr. philosoph. præparat. lapid. cancror. mandibul. lucii piscis, antimon. diaphor. Zinnabar. nativ. an. scrupul. i. Laudan. opiat. gr. i. ij. M. Exhibendns hic pulvis magis circa declinationem morbi.

## §. XXXII.

Opium an in Peripneumonia conveniat, disputant Autores, quidam negant & cane pejus & angue opiate esse vitanda afferunt, uti *Willis. in ph. rat. part. II.* Quidam vero concedunt, cum quibus & ego sentio, & dico, quod opium in majori dosi datum noceat, in dosi vero refractâ minimè damnum inferat corpori, sed potius optimo cum ægri emolumento detur.

## §. XXXIV.

Expectorationem porro adjuvant bechica, imprimis liquida, v. gr. Elixir. Pectoral. Michael. Rolsinc. Excell. Wedelii, syrup. de hyssopo, veron. aq. veron. hyssop. ut & decocta ex his & similibus parata. Hyssopum commendat *Celus lib. IV. cap. VII.* Inquiens in potionc autem Hyssopum dare, cum quo fucus arida sit incocta, aut aquam mulsam, cum qua vel Hyssopum vel ruta decocta sit. His cum successu aliquando acida admiscetur, v. gr. spirit. sulphur. Salis Tinet. flor. papav. rh. Clyff. antimonii ad majorem incisionem & ut æger ad tussim nonnihil stimuletur. Ad expectorationem juvandam sequentes potioncs possunt præscribi. Rx. Aqu. Hercul. Saxon. Frig.

B 3

Scorzon.

Scorzon. Chæresol. Card. bened. Acaciae, Tussilag. ana Unc. j. Magister. dent. apr. lapid. cancer. ana scrupul. ij. Elixir. pectoral. drachm. j. Sirup. jujub. hyslop. ana. Unc. iij. Spirit. Sulphur. parum. M. F. potio, de qua unum vel alterum cochlear per vices sumi possunt pro mitigando fervore & expectoratione juvanda. Vel & Aq. hyslop. papaver. errat. tussilag. ana. Unc. j. Sirup. violar. papaver. rhæad. ana. drachm. j. antimon. diaph. drachmam semis, spirit. salis dulc. parum. M. F. potio. Eclegmata minus prosunt in hoc casu, facile enim inviscant poros, non resolvunt, sed magis incrassant. Resolventia vero & acidulae omnem paginam absolvunt.

## §. XXV.

Alvus ut in omnibus fere morbis, ita & in hoc ut aperta sit, convenit; hâc enim plane non respondentे, varia symptomata superveniunt, nempe dolor capitis, tormenta ventris, vigilie &c. ideoque si alvus sit adstricta, necessarium esse clyisma existimo, lene & emolliens tantum, sine magna humonum aut sanguinis agitatio ne alvum blandè aperiens. In hunc autem finem lac aut serum lactis cum saccharo rubro aut syrupo violaceo conductit it. cerevisia cum saccharo. Ubi autem quis clysterem majoris apparatus desideret, poterit componi ex Herb. Malv. parietar. violar. ana manipul. j. Sem. lini, fœnigræc. ana. drachm. semis. prunor. dulc. numero vi. coq. in aq. fontan. suffic. quantit. ad libr. j. cui adde syrup. violar. Unc. j. M. F. Clyster. Vel si ægri clysterem renuunt leniens aliquod exhibendum Eliguntur autem laxantia, quæ & pectori amica sunt v. gr. Manna præcipue commendatur. it. fol. sennæ potui indi commode possunt. Potio laxans talis præscribi potest. & prunor. dulc. passul. enucl. ana Unc. j. Flor. Violar. pug. j. Coq. in Colatur. dissolv. Cassiae Unc. semis, Mannæ Unc. j. M. Fiat potio.

## §. XXVI.

Ad dolorem pectoris mitigandum maximè prosunt medicamenta topica & foris adhibenda. Nempe linimenta, fatus, sacculi. Ad linimentum in hunc usum inserviens parandum intervire possunt seq. np. Ungu. anod. pectoral. dialth. ol. Lilior. alb. amygd. dulc. Ad sacculos. Herb. & Flor. Chamom. Melilot. Sem. lini &c. Cornel. Cels. lib. iv. cap. vii. inquit. Prosunt adversus dolores imposita calida fomenta, vel ea, quæ simul & reprimunt & emolliunt. Prodest etiam impositus super pectus sal bene contritus, cum cerato mi stus,

stus, quia leviter cutem erodit, eoque impetum materiæ, qua pulmo vexatur, evocat.

### §. XXVII.

Vigiliae si urgent, optimo consilio emulso ex sem. papav. errat. card. bened. & melon. cum aquâ papav. erratici potest parari, illa enim simul expectorationem juvat. Vel, si externum desideres, futuram coronalem & tempora inunge oleo rosaceo, cui pauxillum aceti rosacei sit commixtum. *Vid. Franc. Joël. Lib. III. Prax. Sect. I. p. 274.*

### §. XXVIII.

Antonius Thosius occasione Peripneumonie epidemicæ supra memoratae, novam methodum curandi proponit, quæ imprimis in hoc consistit, ut ægri aquam frigidissimam, aut nivem nocte dieque ore detineant, & hoc primo casu per experientiam observatum, deinde feliciter in usum fuisse tractum dicit, voluitque illo suo libello ostendere rationem insuper, & quodammodo autoritatem Medicorum in hanc rem consentire. De quo aliorum esto judicium. Interim & hodiè inveniuntur, qui frigidiora medicamenta ad maximum æstum in Peripneumonia temperandum locum habere posse contendant, qui tamen monent, non nimis diu in illorum usu pergendum esse, ne coctio materiæ & expectoratio impediatur.

### §. XXIX.

Remedii ad hunc morbum convenientibus, quantum per breve temporis spatium licuit, perspectis, restat ut de diæta, cuius in Peripneumonia maxima quoque habenda ratio, aliquid addam. Consistit autem ea in rectâ rerum sex nonnaturalium à Medicis dictarum observatione. Inter illas primo observanda est aëris constitutio: Si ille sit quoad essentiam purus, quoad qualitatem vero temperatus, optimus est; contra vero fœtidus, nebulosus, variis miasmatibus repletus, frigidus, omni modo vitandus.

### §. XXX.

Victus ratio convenit refrigerans & humectans, tenuis in principio, veluti sunt tremor ptisanæ, juscula gallorum gallinaceorum cum uvis omphaciis, aut cum succis arantiorum, limonum, granatorum cocta, butyrum recens, ova sorbilia. Potus loco aqua hordei decorticati, in quâ radices glyzirrhizæ & uvæ passæ sunt incoctæ commendatur à Joële in Praxi. Si vires desunt, adjuvandæ sunt aqua mulsa, *Cels. lib. IV. cap. VII.* Vitanda autem omnia acria, falsa, alvum adstringentia, in excessu calida, difficilis concoctionis & pra-

16 EXERCITATIO MEDICA INAUGURALIS.

væ notæ cibaria , ut fungi , tubera terræ , item carnes suillæ . A vino etiam abstinere satius est quam eodem uti ; nimis dulcia quantum possibile vitanda , quoniam sanguinem magis incrassant.

§. X X X . Motus porro inordinatus & nimius nocet . Hoc enim concitatur in corpore nostro spiritus & humores , circulatio sanguinis celerior redditur , & sic major fit affluxus humorum . A multâ locutione , clamore per consequens quoque abstinendum , inde enim pulmones subjectum hujus morbi valde irritantur , respiratioque redditur difficultior .

§. X X X I . De vigiliis notandum venit , quod illæ quoque non legitimè observatae morbum exasperent . Inter animi pathemata vitanda sunt , ira , terror . Excernenda si retineantur , v.gr. menses , hæmorrhoides &c. etiam hunc affectum producere experientia testatur , ideoque non exiguum ad salutem & præservationem hujus morbi momentum repositum est , si talia occurrant , statim medicamentis idoneis succurrere .

SOLI DEO GLORIA !

